



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Martini Martinii Tridentini E Societate Jesu Sinicae Historiae Decas Prima

**Martini, Martino**

**Monachii, 1658**

Decimustertius Imperator Pingus. Imperavit annis LI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11848**

## DECIMUSTERTIUS IMPERATOR

## PINGUS.

Imperavit annis LI.

**P**INGUS JEI filius, occisi parentis calamitate doctus, mutatam *Cyclo 31. anno*  
 periculo vitando regiam relinquens, SIGAN, atque in Austrum *8. ante Chri-*  
 procedens ad Co provinciam HONANÆ fluvium in hujus extre- *stimo 170.*  
 mæ Asiæ medietate ferè constituit. Ita TARTARORUM quidem vim  
 effugit; sed magnam imperij partem amisit, plus timens sibi, quod est  
 præposterum, quàm rei publicæ. Nam discessus ejus omnem Sinici im-  
 perij statum ita miscuit, ut prorsus esset nova rei publicæ forma. Reguli  
 enim, qui adhuc Imperatori paruerant SIANGCUNGI & UUCUN-  
 GI exemplum securi, eo ex parte deserto, fiduciaras olim regiones  
 sibi vendicantes, omne prorsus abnuabant imperium, in defectionis  
 titulum fugâ Imperatoris prætextâ. Tres inde reges in ceteris eminue-  
 re. Primus CI dictus, maximam partem Boréam provinciam XANG-  
 TUNG appellatâ occupavit; oriundus è familiâ LIUXANGII, de  
 cujus initijs supra diximus. Alter rex Zu nomine, duas in primis ce-  
 lebres provincias HUQUANG, & KIANGSI suo subjecit imperio,  
 Sinicis paulò antè legibus obnoxias, hoc est, sub CHINGO secundo  
 istius familiæ Imperatore, qui, uti dictum HOANGTII successores  
 in his terris regulos creavit, habuitque ratum beneficium, quod ab  
 Uo jam acceperant. Tertius rex CYN permagnâ XANSI provin-  
 ciæ parte captâ, TAIQUEN urbem sibi pro sede legit, à KANGXOO de-  
 scendens, & Imperatorum sanguis. KANGXOUS enim ab Imperato-  
 re fratre fiduciam locorum istorum acceperat, & quidem per lusum,  
 ut diximus in CHINGI principatu.

Hi tales ergo, deserto Imperatore, nullius imperij timentes, non  
 diu quievèrunt. Cùmque dèssèt hostis externus, dominatum est bellum,  
 latius regnandi cupidine accensis, & eam ob causam ferro inter se de-  
 cernentibus; cùm arctatis alterius finibus suum quisque regnum pro-  
 ferre studet. Nec Imperatoris eos autoritas in officio continuit.  
 CONFUTIUS Philosophus librum suum CHUNCIEU, siue de  
 regum correctione inscriptum ab his regibus orditur, Nam hæc  
 O 3 bella

bella ad ejus ætatem usque processerant. In eo libro illud maximè secutus est, ut reges omnes ad obedientiam allecti, antiquas Sinici imperij leges denuo acciperent. Enarrat earum præstantiam & commoda; execratur mala, quæ nascuntur è discordijs; enumerans ea nominatim, quæ à regibus perperam facta ex eo tempore, quo Imperatorem deseruere.

Anno hujus Imperatoris vigesimo primo, SIANGCUNGO vitâ functo UENCUNGUS ejus filius devictis ingenti prælio TARTARIS, occupatisque ferè omnibus, quæ spectant occidentem, ad XANSI provinciæ fines ultra FUNGCIANG, urbem pervenit. Ibi KIMONTEM regni sui limitem fecit, quasque ultra hunc montem orientem versùs eodem victoriæ impetu regiones occuparat, quæ multæ fuerunt, eas Imperatori gratis restituit, omni ferè XENSI provinciâ in potestatem redactâ contentus.

## DECIMUS QUARTUS IMPERATOR U O N U S.

Imperavit annis XXIII.

*Cyclo 33. anno  
59. ante Chris-  
tum 719.*

**U**ONUS PINGI ex filio nepos ad fastigium euectus, nihil prius habuit, quàm ut restitutâ imperio dignitate regulos revocaret ad obsequium. Quod ubi consilio non potuit obtinere, armis tentavit, sed æquè irritò successu. Nam primo statim prælio à CHINGO Regulo fusus, acceptoque vulnere, terras imperio subjectas recuperandi spem abiecit; tantummodò sollicitus, quâ relicta tueretur. Nec aliud memoriâ dignum de illo invenio. CHINGUS erat ex imperatoriâ familiâ CHEVA, SIUENII Imperatoris patruus. Ita dominandi libido consanguineos etiam in se mutuò armavit.

DECI-